CANARIENSIS SEMINARII CONCILIARIS THEOLOGICO-DOGMATICÆ

THESES.

D. O. M.

Qui intuetur abyssos, et sedet super Cherubim:
Æterno rerum Creatori,
Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:
Deo vero,
Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem:
Magno Domino nostro,
In quo vivimus, movemur, et sumus:
Deo Patri ingenito,
Cujus Verbo cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum:
Dei Filio unigenito,
Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus,
Ut nos redimeret, Virginis uterum non perhorruit:
Spiritui Paracleto,
Optimo charismatum datori,
Qui terræ faciem renovavit:
Uni et trino Deo,
Qui nec recedit à numero, nec capitur numero:
Sanctæ et individuæ Trinitati,
In cujus nomine regenerati sumus:
Has Theses,
Queis de hoc magno Christianorum mysterio,
Quidquid nobis ipsimet revelare placuit,
Propugnare aggreditur,
Dominicus Huesterlin del Castillo,
Una secum,
Dat, vovet, consecrat;
Pronoque vultu gratiam exorat,
Qua catholicum dogma tueri digne possit
Adversus eos, quibus absurda ista videntur,
Solita trahentibus ad insolita,
Visibilia ad invisibilia,
Creaturam comparantibus Creatori.

THESES THEOLOGICO-DOGMATICÆ

DE DEO UNO ET TRINO.

I.

Credimus unum Deum in Trinitate , et Trinitatem in unitate.

II.

Non confundentes personas , neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris , alia Filii, alia Spiritus Sancti.

III.

Sed Patris , et Filii , et Spiritus Sancti una est Divinitas , æqualis gloria , coæterna majestas.

IV.

Qualis Pater, talis Filius , talis Spiritus Sanctus.

V.

Increatus Pater , increatus Filius , increatus Spiritus Sanctus , et tamen non tres increati , sed unus increatus.

VI.

Immensus Pater , immensus Filius , immensus Spiritus Sanctus , et tamen non tres immensi , sed unus immensus.

Æter-

VII.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus, et tamen non tres æterni, sed unus æternus.

VIII.

Similiter Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus, et tamen non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens.

IX.

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

X.

Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus, et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

XI.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

XII.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.

XIII.

Spiritus Sanctus à Patre, et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

XIV.

Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

XV.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales. Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est; et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse ita de Trinitate sentiat.

Objectionibus pro viribus satisfaciet prædictus D. Dominicus Huesterlin del Castillo opem ei ferente R. admodum P. Fr. Dominico Gordillo, Ordinis Sancti Francisci Lect. Jubilato, et in hoc Purissimæ Conceptionis Seminario Conciliari Primario Sacræ Theologiæ Moderatore; in ejusdem Seminarii Templo die 13 Jan. anno Domini 1785.

Hora consueta.

XIV.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

XV.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sun[illegible] Ita ut per omnia, sicut jam supra [illegible] unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse ita de Trinitate sentiat.

Objectionibus pro viribus satisfaciet prædictus D. Dominicus Huesterlin del Castillo opem ei ferente R. admodum P. Fr. Dominico Gordillo, Ordinis Sancti Francisci Lect. Jubilato, et in hoc Purissimæ Conceptionis Seminario Conciliari Primario Sacræ Theologiæ Moderatore; in ejusdem Seminarii Templo die 13 Julii anno Domini 1784.

Hora consueta.